

solvendum interesse (legale) a die juridicae petitionis. (a. 1904) Quae dispositio, utpote justam poenam irrogans, etiam ante judicis sententiam, in conscientia obligat, quia in singulis casibus e tacito contractu nascitur. (Marres, l. 4. n. 114)

N. B. De obligatione mutuum dandi, quam Christus commemorat (Matth. V. 42) et Bened. XIV in Encycl. *Vix pervenit* (1 Nov. 1745) multis in casibus vigere affirmat, non est quod hic speciatim dicatur. Oritur enim e pracepto caritatis et necessitate temporali proximi, ideoque iis subjacet regulis quae de eleemosyna propositae sunt. (n. 218 seqq.) Saepe tamen deficiet obligatio mutuam dandi notabilem pecuniae summam, eo quod caritas cum gravi incommodo non obligat. Nam crebro erit magnum periculum sortem amittendi : quod, ubi de summa notabili agetur, grave incommodum constituet. Sufficiet tunc necessitatem proximi parva eleemosyna ex parte allevare.

§ 2. DE MUTUO CUM FAENORIS STIPULATIONE.

616. Talem stipulationem contractui mutui adjicere permittit Jus nostrum, sive pecunia, sive merces aliaeve res mobiles mutuo dantur. (a. 1995) Atque universe in hodiernis codicibus ejusdem stipulationis liceitas agnoscitur. Ut autem de illius liceitate in foro conscientiae judicium ferri possit, sequentes regulas statuimus, inhaerentes praesertim conclusionibus practicis quas S. C. de P. F., e pluribus S. Sedis documentis collectas, subjecit Instructioni quam anno 1873 de hoc difficulti arguento edidit. (Coll. P. F. n. 2140)

I. Nullum lucrum percipi potest vi mutui, seu immediate et praece- ratione ipsius. Ita docuit Bened. XIV Litt. Encycl. *Vix pervenit* : "Pec- cati genus illud quod usura vocatur quodque in contractu mutui pro- priam suam sedem et locum habet, in eo est repositum, quod quis ex ipsomet mutuo, quod suapte natura tantumdem dumtaxat reddi postulat quantum receptum est, plus sibi reddi velit quam est receptum." Neque, ut ibidem docet laudatus Pontifex, lucrum vi mutui petitum culpa vacat eo quod moderatum est, vel mutuarius dives aut lucrum e summa mutuo accepta percepturus est: nam semper violatur lex mutui, quae necessario in dati atque redditii aequalitate versatur. Igitur lucrum sic perceptum, vi ipsius legis naturalis, restitutioni obnoxium est.

II. Aliquid supra sortem percipere licet, quando mutuo accedit ali- quis **titulus extrinsecus** seu qui ipsius mutui naturae non sit universum coniunctus et innatus. Tales sunt praesertim sequentes tituli :

1^o *Lucrum cessans*, seu lucrum quod mutuator potuisset percipere servando rem quam mutuo dat.

2^o *Damnum emergens*, seu damnum quod mutuans occasione mutui passurus est.

3^o *Periculum amittendae sortis*.

4^o *Insoliti labores* assumendi ad sortis recuperationem.

5^o *Poena conventionalis*, seu pactum quo mutuarius se obligat ad auctarium solvendum si sortem, tempore praestituto, e culpa sua saltem juridica non reddiderit. (S. Alph. l. 4. n. 766)

Ratio ob quam isti tituli justum efficiunt moderatum auctarium, haec est : quod, in quattuor primis casibus, mutuator, in favorem mutuarii, se lucro faciendo privat vel alicujus damni periculo exponit, aut labores exequitur : quae omnia sunt pretio aestimabilia; in quinto autem, justa neglegentiae poena a mutuario luitur.

617. III. Practice hodie licet fidelibus, etiamsi praefati tituli omnes deficere videantur, percipere auctarium quod **lege civili** statuitur (intérêt légal).

Disputatur tamen inter AA. de scientifica explicazione hujus regulae practicae quam plura documenta S. Sedis extra dubium ponunt. Cfr. Instr. cit. conclusionem 3.

Quidam, ut Gury (l. n. 863 seqq), opinantur legem civilem esse reapse titulum a reliquis discrepantem. Eorum sententia, legislator civilis, vi alti dominii quod ipsi in civium bona competit, transfert a mutuatorio in mutuatorem dominium auctarii quod statuit. Id autem juste facit in hodiernis adjunctis, eo quod talis translatio, incitans homines ad pecuniam mutuo dandam, magnopere conductit ad progressum commercii et industriae, ac consequenter ad temporalem totius societatis felicitatem.

At communior et probabilior sententia etiam recentiorum, ut Lehmk. (l. n. 1102) et Marres (l. 4. n. 131), tenet gratis supponi in principe civili hanc dominii transferendi voluntatem, neque legem illam justam esse nisi quia merito praesumit adesse alios titulos mutuo extrinsecos. Hoc potissimum appareat ubi auctarium lege civili statutum nequaquam determinat quid cives privatis pactis tamquam faenus exigere possint (n. 619), sed tantum ad quosdam casus lege determinatos refertur : tune enim liquidum est legalem dispositionem frustra invocari ut legitimantur pacta quae nullatenus respicit. Insuper contrariae sententiae fautores videntur augere praeter veritatem altum dominium Status : quod quam angustis limitibus contineatur, dictum est n. 466. Neque controversiam hanc theoreticam S. Sedes dirimere intendit variis responsis quae de titulo legis civilis dedit, ut expresse declaravit 7 Martii 1835 Cardin. Major Poenitentiarius. Cfr. cit. Instr. n. IX et concl. 3.

IV. Etiam quando titulus mutuo extrinsecus adest, peccatur contra caritatem quando faenus exigitur a pauperibus in iis adjunctis in quibus eadem virtus jubet iis gratis mutuari. Ideo declarat Bened. XIV Encycl. *Pervenit*: " Falso sibi quemquam et nonnisi temere persuasurum, reperiri semper, ac praesto ubique esse, vel una cum mutuo titulos alios legitimos, vel, secluso etiam mutuo, contractus alios justos, quorum vel titulorum vel contractuum praesidio, quotienscumque pecunia, frumentum aliudve id generis alteri cuicunque creditur, totiens semper liceat auctarium moderatum, ultra sortem integrum salvamque, recipere. "

618. V. Qui faenus immodicum exigit, contra justitiam commutativam peccat, ideoque ad partem nimiam restituendam obligatur. Quaenam autem usura dicenda sit moderata, quaenam excessiva, universe determinari nequit, " cum hoc demeliri oporteat in singulis casibus, respectu habito ad omnes et singulas circumstantias locorum, personarum ac temporum. " (Instr. cit. concl. 5) Ideo S. Poenit. (18 Apr. 1889) episcopum consulentem monuit periculosum esse fructum pecuniae per modum regulae taxare, eumque remisit ad " proxim communem servatam ab hominibus timoratae conscientiae respectivis in locis et temporibus. " (Coll. P. F. n. 2143) Reaperte S. Sedes non reprobavit faenus valde magnum quando videbatur titulo, praesertim sortis periculo, respondere. Sic S. C. de P. F. jam anno 1645 (Coll. P. F. n. 2118) respondit non esse inquietandos Christianos Sinenses qui in mutuo recipiebant triginta pro centum, quantitatem nempe legibus patriis taxatam, " dummodo habeatur ratio qualitatis periculi et probabilitatis ejusdem, ac servata proportione inter periculum et id quod accipitur. "

619. VI. Ad determinandam justam auctarii mensuram juvabunt sequentes animadversiones :

1º Non licet augere auctarium propter necessitatem quam patitur mutuarius vel lucrum quod ipse cum pecunia mutuo accepta facturus est : haec enim nihil conferunt ad aequalitatem dati et accepti.

2º Taxa auctarii in ordinariis adjunctis commensuranda est aptitudini pecuniae ad fructus gignendos in his determinatis locis et temporibus. Haec mensura facile dignoscitur e praxi recepta, praesertim inter argentarios. Hanc taxam hodie exigere potest etiam is qui pecuniam vel merces servasset prorsus otiosas. Nam cum, saltem in hodierna societate humana, communiter unicuique facultas detur collocandi sortem in negotiatione vel industria lucrosa, praestatio pecuniae universe in seipsa continet titulum lucri cessantis, qui non tollitur eo quod alicui in particulari nullum lucrum cesseret : valor enim rerum e communiter contingentibus desumitur.

3º Augeri potest taxa praedicta propter titulos qui *in casu determinato* adsint, puta ob lucrum solito majus quod commodator e pecunia sua percipiebat, ob magnum sortis amittendae periculum, etc.

4º In nostra regione, sicut et in pluribus aliis, libera contrahentibus fit facultas taxam auctarii determinandi. (Legis Belgicae 5 Maii 1865, a. 1) Usurae autem scelus punitur tantum si usurarius habitualiter faenus poposcit supra taxam legalem et debilitate vel passionibus mutuatarii abusus est. (Cod. Poen. a. 494) Auctarium legale, quod hodie in Belgio est $4\frac{1}{2}\%$ in materia civili et $5\frac{1}{2}\%$ in materia commercii, eo tantum fine statuitur ut determinetur quid solvendum sit ubi lex ipsa aliquod faenus, de quo non convenerat, pendi jubet, ex. gr. a debitore moroso. Insuper, pro foro conscientiae, praebet normam cuique tutam. Nullatenus tamen prohibet quominus (si id justum fuerit) de majore taxa solvenda privati paciscantur. Sed generatim, ubi magna securitas pro sorte recuperanda habetur, jam multo minus auctarium (3 vel $2\frac{1}{2}\%$) poscunt mutuam pecuniam dantes.

In regionibus in quibus lex civilis statuit certam taxam mutui quam transgredi non liceat, haec norma per se in foro conscientiae obligat : nam Status, sicut ob bonum commune rerum vendendarum pretium determinare, ita et hujus quasi-locationis pecuniae taxam statuere potest. Ideo qui eam transgrederetur per se ad restitutionem teneretur. Excipe tamen si quando extraordinariae rationes lucri cessantis, periculi sortis, etc. accederent : nam lex ordinarium valorem praestationis pecuniae tantum considerat. (Lehmk. I. n. 1107)

5º Interdum mutuum sumitur, ex. gr. a municipio vel societate, ea condicione ut debitor accipiat minorem pecuniae summam quam postea creditori reddere debeat, et insuper jam de integra summa postea redenda faenus solvat, ut puta si debitor accipiat 80 pro 100 postea reddendis et tamen de hisce 100 jam faenus solvat. Talis contractus justus est si utrumque emolumentum simul conjunctum non superat vulgare faenoris pretium, vel si excessus honestatur titulo quodam extraordinario, ex. gr. peculiari sortis periculo ; secus faenus, quoad excessum, injustum erit. (Marres, I. 4. n. 135)

6º *Anatocismus*, quo faenus debitum et nondum solutum novum auctarium producit (intérêts des intérêts), per se nihil illiciti continet : nam faenus nondum solutum tamquam novam sortem constituit, quae auctarii percipiendi jus, servatis justitiae regulis, tribuit. Quare, spectato jure naturae, nihil prohibet quominus de hac re conventio fiat. Verum attendenda erit lex civilis, quae poscit ut auctarium quod ita in novam sortem constituitur, saltem pro integro anno sit debitum. Excipiuntur reditus jam debiti, puta pretium locationis praediorum vel domorum aut praestationes census perpetui vel vitalicii ; hi aucta-

rium ferunt a die petitionis judicariae vel conventionis. (C. C. a. 1154 seqq.) Hae leges in foro conscientiae obligant: necessariae enim sunt ad impediendos funestos effectus anatocismi, quo facile supra vires gravantur debitores, si post breve tempus auctarium debitum in novam sortem constituitur. Non sunt tamen applicandae eaedem leges argentiariis qui solent crediti et debifi rationem (*compte-courant*) ita confidere ut post tertium vel sextum quemque mensem faenus utrimque debitum in sortem, auctarii productivam, computetur, et praeterea sorti addunt certam compensationem (*commission*) sibi debitam ob onus semper praesto habendi pecuniam. Etenim hic non habetur verus mutui contractus, qualem spectant leges praefatae, sed plane diversus, quo uterque contrahens sua vice creditor aut debitor fieri potest, ac proinde neuter anatocismi stipulatione nimis gravari potest, dum compensatio ab argentario petita modum non excedat. (Marres, l. 4. n. 137 seqq.)

Negari nequit nostris diebus saepe iniri contractus mutui cum stipulatione faenoris immoderati, seu usurarios, et, saltem in pluribus regionibus, magna ex iis fluere mala. Nam Leo PP. XIII in Encycl. *Rerum novarum* haec scribit: "Malum auxit usura vorax, quae, non semel Ecclesiae judicio damnata, tamen ab hominibus avidis et quaestuosis per aliam speciem exercetur eadem."

Quomodo hodie sub variis speciebus lateat usura in contractibus quibus pecunia vel alia res fungibilis mutuo datur cum luero injusto, exponunt Oeconomistae, ex. gr. Antoine, *Cours d'Économie sociale*, p. 545 seqq.

620. SCHOLION. Plurimum discrepant AA. in explicanda mutatione, saltem apparenti, quae in Ecclesiae disciplina de mutuo cum faenore cernitur, quippe quod per multa saecula universim damnatum fuisse, nunc autem universim permitti videatur. Quam ob causam non leviter ab adversariis impedita est Ecclesia catholica, quasi in ipsa doctrina morali mutationem subiisset et, hodierno progressu illustrata, antiqua praejudicia abjecisset. De hac scientifica controversia pauca addemus, quae ostendant Ecclesiam sapienter immutabilium principiorum applicationem variis temporum adjunctis accommodasse.

Nempe etiamnunc docet Ecclesia, sicut antea docuit, nihil a mutuatore, vi mutui, percipi posse, neque desiit reprobare auctaria immoderata vel imposta iis quibus caritas mutuum gratis dare praecipiat. Nihilominus hodie universim cunctis fidelibus faenus moderatum stipulari permittit, eo quod hodie *universim* cum mutuo conectuntur illi tituli qui antiquitus eidem tantum *per accidens* et propter *speciales* mutuatoris condiciones adnectebantur. Praesertim hodie communiter in omni mutuo habetur titulus lueri cessantis. Nam propter relationes

frequentissimas et facillimas inter omnes orbis partes, propter ingenitum industriae et commercii extensionem, datur unicuique, etiam modicam summam habenti, facultas eam collocandi in commercio vel industria lucrosa. Quare si eam mutuam dat, privat se re quae ipsi cum morali certitudine facile lucrum pariat: quae privatio pretio aestimabilis est et compensationem meretur. Ideo, sicut antiqui in erito asserebant pecuniam esse sterilem, ita nostris diebus eam virtualiter fecundam dicere possumus, non quod immediate, sicut labor humanus, divitias novas procreat, sed quia velut instrumentum est quo laborantes iis producendis apti fiant. Adde: in plurimis pecuniae praestationibus reperi sortis periculum, propter summam rerum tum privataram, tum etiam publicarum instabilitatem. Mirum quoque non est ecclesiastica documenta antiquiora generalim de mutuo cum faenore tamquam de exitiali abusu loqui solere: nam plerumque mutua pecunia accipiebatur tantum in casibus necessitatis, non ad negotiationem promovendam, sed ad inopiam sublevandam; insuper faeneratores publici passim poscebant auctarium prorsus excessivum. Sic, ineunte saec. XVII^o, testatur Lessius (*Append. de Monte Pietatis*) eos solitos fuisse in Belgio percipere 33 %, nec quidquam amplius facere potuisse Archiducem Albertum ad populum sublevandum quam ut faenus ad 22 % reduceret. Hodie vero communiter pecunia mutua accipitur ab iis qui minime in necessitate versantur, sed ea uti volunt ad negotiations promovendas, ad vias ferreas vel alia quae communi utilitati prosint, construenda, etc. Neque solet exigi auctarium ingens et mutuatorio exitiosum, ubi pecunia datur societatibus, municipiis, statibus, etc. sed valde moderatum, puta, ubi deest speciale sortis periculum, 3 %. Ideo consuetudo passim recepta pecuniam ad faenus collocandi et, quae inde nascitur, facultas congreganti magnas summas multis negotiis necessarias, per se ad temporalem civium prosperitatem augendam tendunt. (1)

Solet tamen S. Sedes in responsis suis de mutuo cum faenore, etiam nuperis, ex. gr. S. Inqu. 4 Jul. 1883 (Coll. P. F. n. 2141), dum edicit non esse inquietandos qui modicum faenus percipient, addere: "Dummodo parati sint stare mandatis S. Sedis." Haec clausula nullam specialem interrogandi monendive fideles obligationem imponit; indicat tantum proximam hodiernam Ecclesiae non esse ita firmam ut, si forte societatis

(1) Jam antiquitus, ubi commercium florebat, eadem consuetudo dandi pecuniam mutuam, cum auctario moderato, sponte enata erat. Ita testatur Lessius (*de Just. et J. I. 2. c. 2. n. 12*) solitos esse mercatores Antverpienses in Bursa sua statuere pretium carentiae pecuniae ad annum inter 6 % ad 12 % per annum. Hanc eorum consuetudinem ipse quidem reprobat, sed valde modeste proferens opinionem suam et supponens (quod negari potuisset) istud auctarium non fuisse petitum ad compensandum luerum cessans.

humanae condiciones mutarentur, S. Sedes non rediret ad pristinam severitatem: cuius rei ratio in explicatione a nobis data facile intellegitur.

Fatendum quoque est plures abusus et pericula reperiri in societate humana quae legibus oeconomicis hodiernis regitur et saepe capitalistica audit. Cfr. Antoine, op. cit. p. 380 seqq. Verum ista mala non videntur orta ex ipsa facilitate dandi et accipiendo pecuniam cum moderato faenore, sed exabusibus quos homines cupidi invexere, qualia sunt injusta monoplia et inde orta laborantium servitus, speculationes bursae, negotia non veris sed fictis capitalibus nitentia, ideoque crebro latam ruinam trahentia, etc. Haec et alia mala morum emendatione legumque sanctonibus tolli vel saltem magnopere minui possent, illaesa manente cooptatione capitalis ad aliorum labores juvandos. Neque sapientis foret aut oblivisci maxima beneficia quae ex humana industria, qualis hodie exercetur, in temporalia commoda plurimorum derivantur, aut sperare tempora a quibus absint abusus magni, quales historia jugiter sub variis formis viguisse testatur, aut regimini quo labor et capitale hodie uniuntur mala imputare quae ex aliis causis manifeste proveniunt, puta alcoolicis excessibus, nimis tributis vel exercitibus, etc. (1)

Non deerant antiquis temporibus media justum lucrum e pecunia percipiendi, potissimum ope censum (n. 621) et contractus societatis. (n. 651 seqq.) Injuste igitur Ecclesia a quibusdam incusatur quod progressum temporalem impediverit jubendo ut pecunia otiose servaretur.

§ 3. DE CENSU ET CAMBIO.

621. I. Census antiquis temporibus saepissime usu veniebat, nunc autem jam raro usurpatur eo quod homines plerumque malunt mutuum cum stipulatione faenoris inire, ex quo id licitum esse tum a Jure civili, tum ab Ecclesia declaratum est. Ideo sufficiet brevissime de hoc contractu census agere.

Census paulo aliter a veteribus DD. et a Jure civili hodierno exhibetur.

Juxta Theologos, est jus percipiendae annuae pensionis ex re vel persona alterius. Nulla, ut patet, difficultas moralis reperiri potest in censu quem iidem vocant *reservativum*, et qui in eo consistit quod aliquis rem frugiferam alteri tradit, puta agrum vel domum, sibi vel alii reservans

(1) Alias vias excogitatas ad explicandam apparentem mutationem in doctrina Ecclesiae de mutuo cum faenore, videsis apud Palmieri (nota ad Ball. P. n. 347) vel Antoine (op. cit. p. 538 seqq.)

ius singulis annis partem fructuum ejusdem percipiendi. Sed quaedam controversiae agebantur de censu quem *consignativum* vocabant, et qui in eo est quod aliquis, soluto pretio, emit jus percipiendae certae partis fructuum seu pensionis annuae ex re quae erat et est alterius, vel ex alienis laboribus. Nam talis emptio, praesertim si emptor seu creditor habet facultatem repetendi pretium, habet aliquam similitudinem cum mutuo cui faenoris stipulatio accedit. Discrimina tamen assignabani Theologi, etiam quando census est redimibilis ad arbitrium emptoris. Nam, dum in mutuo nihil emitur, in censu emitur jus percipiendi fructus: dum in mutuo principalis obligatio est ad reddendam sortem, accessoria ad usuras, in censu principalis est obligatio ad pensionem solvendam, nulla autem per se ad sortem reddendam. (Ball. P. n. 478)

In jure civili, census qui ab antiquis *consignativus* dicebatur, assimilatur omnino mutuo cum faenore. Nam C. C. postquam de hoc mutuo egit, statim addit: "Licit stipulari faenus propter sortem quam mutuator se obligat ad non repetendum. Tunc mutuum nomen census assumit (constitution de rente). „ (a. 1909) Distinguitur autem duplex hujusmodi census: nempe perpetuus et vitalicius. (a. 1910) De priore agit C. C. aa. 1911-1913: de posteriore aa. 1968-1983, inter contractus aleatorios, ad quos reapse census vitalicius pertinet. Prior, non autem posterior, semper redimi potest a debitore.

Hodie, cum universim liceat moderatum faenus e pecunia, tamquam e re frugifera, percipere, jam in constituendis censibus nulla est per se moralis difficultas. Servanda sunt regulae quae de moderato auctario positae sunt, et quae infra de justo pretio in emptione venditione tradentur.

Quaestionem de censibus, pro usu antiquorum temporum expositam, videsis apud S. Alph. nn. 839-849. De celebri Bulla S. Pii V *Cum onus*, 19 Jan. 1568, qua modo valde arto determinabantur condiciones sub quibus licitus esset census, cfr. praeter S. Alph. (l. c.), Ball. P. n. 482 seqq.

622. II. Cambium quod, vi nominis, omnium rerum permutationes designat, hic restringitur ad solam permutationem pecuniae cum pecunia. Per hunc contractum permutatur non tantum pecunia praesens, ut aurea, argentea, chartacea, sed etiam promissa, puta per litteras cambiales (lettres de change). Solet etiam servitium alteri ope hujus permutationis praestitum mercede compensari.

Ad justitiam hujus contractus onerosi requiritur:

1º Ut servetur justum pretium pecuniae quae permittatur. Justum autem pretium pecuniae praesentis non est semper illud quod monetae inscribitur. Etenim propter varias causas, puta majorem vel minorem